



einzelne verzeihelt 4. III. 1915

Silvest. theol. Vol. 35

~~S. 111.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VI-15.
SIGNAT. CISIDCCCXIII.



הַלְכַת מִי לָהּ

Sive
DE

CIRCUMCISIO.
NE JUDÆORUM,

Ex

GEN. XVII. v. 13 & 14
DISSERTATIO PHILOLOGICA TERTIA
ET ULTIMA,

Quam

DEO T. O. M. MODERANTE,
PRÆSIDE

M. CHRISTIANO Lofervixen/
Stralæfundensi,

IN

ILLUSTRIS LEUCOREÆ
Auditorio Veteri,

A. C. clc lxx. die 15 Maji

Horis matutinis

publicæ τῶν Φιλολογῶντων συζητήσεσ
submittet

RESPONDENS

JOACHIMUS Schüze/
Stralæfundensis.

WITTENBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI.

58

60

ON THE
CIRCUMCISIO
NE IUDAEORUM
DIPLOMATO THEOLOGICA TERTIA
ET ULTIMA
D. O. M. MODERANTE
M. CHRISTIANO GOETTINGIA
ILLUSTRES LITTOREAE
A. C. de J. K. K. de
RE-PONDENS
J. O. A. C. H. I. M. U. S.
STREIBER
D. I. T. H. W. I. S. S. E. R.
I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. E. S. T. R. I. T. A. N. A. M.



S. I.

Occupati fuimus in præcedentibus duabus Dissertationibus in explicandis more in Philologiæ spatiis recepto verbis Mosaicis, quibus Lex divina Abrahamo lata de Circumcisionis ritu administrando sistitur, cumq; ob chartæ angustiam absolvere omnia non licuerit, postulat instituti nostri ratio, ut quod pertexendum restat, in præsentī addamus.

§. 2. Ac Subjectum quidem Circumcisionis, etsi satis jam in præcedenti versiculo determinatum erat, ejus tamen iterato meminit Moses versiculo sequenti his verbis: **המול ימול ילד ביתך ומקנת כסף**. *Circumcidendo circumcidetur natus domûs & emptus argento.* Quod cum frustra factum non sit, in inquirendâ istius repetitionis à Mose institutæ causâ erimus solliciti, cum quos per natos domûs & emptos argento intellectos velit, ex præcedentibus abunde constet. (a)

§. 3. In varias autem hîc Interpretes Biblici scinduntur opiniones, nec una omnium de coherentiâ istorum versuum est, sententia. Nonnulli priora versiculi hujus 13 verba planè omittunt, quod à B. Luthero factum in Germanicâ versione videmus. Alii eadem posteriori versiculi 12 hemistichio jungunt. Ita LXX. **ὁ οἰκογενὴς τῆς οἰκίας σου καὶ ὁ δευτερόγεννητος ἀπὸ παντὸς ὑἱὸς ἀλλοτρίου, ὃς οὐκ ἔστιν ἐκ τῆς σπέρματος σου, ὡς ἐπιτομῆν ὡς ἐπιτομῆσιν αὐ.** Quos Vulgatus, ut solet, secutus versum præcedentem sic reddit: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis omne masculinum in generationibus vestris, tam vernaculus quàm emptivus circumcidetur, & quicumq; non fuerit de stirpe vestrà.* Ipsam autem repetitionem verborum Textûs Originalis Syrus, Arabs, Samaritanus, Pagninus, Tremellius & Tigurini in versionibus suis retinuerunt.

§. 4. Repetitionem hancce ob **παργένεσιν**, quæ hîc datur, institutam esse, nonnulli asserunt, ut sensus verborum Mosaicorum sit: *Natus domûs & emptus argento (ex omnibus alienigenis, qui non ex semine tuo fuerint) circumcidendo inquam circumcidetur natus domûs tuæ & emptus argento.* Aliter adhuc Ebræi, inter quos Aben-Esra sequenti ratione (b) nodû solvit: **ומה פעם לאמר המול ימול ילד ביתך פעם שנית וכן הפירוש וכן שמונות ימים ומול לכם כל זכר כל מי שהוא לכם מורעכם גם כן ילד בית או מקנת כסף: ואתה אברהם המול ימול ילד ביתך ומקנת כסף היום ואם הם גדולים:**

A 2

a) Vid. Diff. II. §. 8 & 9. b) in b. l.

Quæ ratio est, quare dicit circumcidendo circumcidetur natus domus tuæ
 secundâ vice? Solutio hæc est; Et filius octo dierum circumcidetur vobis
 omnis masculus, quicumq; fuerit vobis de semine vestro. Similiterq; natus
 domus aut emptus argento. Quin imò ô Abraham circumcidetur etiam
 natus domus tuæ & emptus argento tuo hodie etiamsi sint adulti. Cui
 ὁμοίως est Raschi: (γ) כּאן כּפּל עּלּיוּ וּלּא אָמַר לְשִׁמְנָה יָמִים (לְמַדְרָךְ שִׁישׁ יוֹלֵד בֵּית נִמּוּל לְשִׁמְנָה יָמִים כּמוֹ שֶׁמְפּוֹרֵשׁ בְּמִסְכָּה
 :שַׁבָּת Repetitio hîc instituitur, sed nulla fit mentio octavi diei, ut docearis
 natum domus posse etiam circumcidi post octavum diem uti illud explanatum
 est in Tractatu Schabbas. Nobis præcipuè probatur simplicior eorum
 sententia, qui majoris βεβαιώσεως causâ præcedentis versiculi verba
 ultima denuò repetita esse statuunt, quo Abrahamo ejusq; posteris scirent,
 non tantum ad semen Abrahamæ istud foedus pertinere, sed etiam vernas &
 pecuniâ emptos circumcidendos esse.

§. 5. Durationem istius ritus in populo Israelitico obtinendi DEUS in se-
 quentibus determinat: והיתה בריתי בבשרם לברית עולם. Et erit
 foedus meum in carne vestra foedus æternum. De voce ברית cum in præ-
 cedentibus prolixè sit actum, (δ) addere in præsentibus plura, nihil attinet.
 Conferri etiam potest de eadem prolixè differens ex Ebraeis R. Joseph. Al-
 bo. (ε) Dicitur autem istud foedus ברית עולם quo ipso temporis, quo
 durare foedus istud debebat, Circumstantia describitur. Æternitatis aliàs
 ambigua vox variè à Theologis æq; ac Philologis accipitur, dum nonnul-
 li in sacris literis ei cum Johann. de Radâ Arag. Episc. Paët. (ζ) duplicem
 alii cum D. Förstero (η) triplicem, alii cum Thomâ Anglico (qui à non-
 nullis perperam ob nominis convenientiam cum Thomâ Aquinate Do-
 ctore Angelico confunditur) (θ) quadruplicem significatione attribuant,
 aliis adhuc aliter sentientibus. (ι) Eandem fortunam experitur etiam vo-
 cabulum Ebraicum עולם, quod itidem diversimodè usurpari consuevit.
 Sæpè enim tempus nunquam terminandum, aliquando continuum ac be-
 nè longum designat. Id quod fatentur non nostrates solum sed & Ebraei,
 sic enim R. A. Esra (κ) כּמוֹ זְמַן הוּא זְמַן הַקָּדָם כּל־שׁוֹן הַקָּדָם הוּא זְמַן הַקָּדָם
 כּרַב הוּא לְעוֹלָמִים זְמַנִּים וּשְׁבַע שָׁם עַד עוֹלָם עַד זְמַן שֶׁהוּא גְדוֹל
 וּכְן וְעִבְרוּ לְעוֹלָם לְזַמְנֵנוּ שֶׁל יוֹבֵל שְׁאִין זְמַן מוֹעֲדֵי יִשְׂרָאֵל אַרְוֹךְ
 מִמֶּנּוּ :

γ) in b. l. δ) Vid. Diff. I. §. 2. 3. & 4. ε) in Ikkarim Sermon. 4. c. 45. p. 163.
 ζ) Controv. Theol. part. I. contr. 29 p. 470. η) Comment. in Es p. 79. θ) Com-
 ment. super Gen. XIII. 15. ι) Vid. Per. Comm. ad Gen. VI. 3. κ) ad Ex. XXI. 6.

: ממו Novimus vocabulum מועד in Lingua orientali idem esse quod
 tempus. Sic jam fuit in seculis (λ) h. e. in temporibus. Et manebit ibi in se-
 culum (μ) usq; ad tempus quo grandis erit. Sic quoq; & serviet ipsi in secu-
 lum ad tempus jubilei, quia tempus nullum est inter festa Israelis, quod eo
 sit longinquius. Quænam verò sint κειθήνια, quorum beneficio colligi
 possit quando vel prior, vel posterior obtineat significatus, inter omnes
 haud æque constat. Arbitrantur nonnulli vocem, hanc æternitatem
 propriè dictam significare, quoties geminatur. Sed id non ubiq; usu ve-
 nire Dn. D. Tarnovius (ν) observavit, nec repetitionem istam esse uni-
 versale κειθήνων æternitatis propriè dictæ luculenter ostendit. Alii e-
 xistimant discrimen, significationis peti posse ex scriptione vocis, idque
 hunc in modum: Si scribatur cum ך denotare eam æternitatem propriè
 dictam, si verò absq; hoc fulcro scripta reperiat, eam vel annum Judæ-
 orum quinquagesimum, qui Jubilæum alias audit, vel durationem tem-
 poris finitam tamen, designare, cui sententiæ Hieronymus (ξ) subscri-
 bit. Enim verò non desunt exempla plurima, quæ & huic assertioni fidem
 habendam esse negent & vim regulæ infringant. Occurrunt enim in
 sacris loca, ubi hæc vox cum sustentaculo Vau scripta tempus saltem lon-
 ginquum & vicissim absq; eodem infinitam æternitatem denotet. Imò in
 eodem argumento repetita denuò modo cum ך modò absq; eodem scri-
 pta deprehenditur, & tamen non nisi unam eandemq; durationem con-
 notat, uti videre est ex Eod. XXI, 6. collata cum Deut. XV, 17. nec non
 é cap. V. Exod. v. 15. aliisq; locis, quæ Concordantiæ Ebraicæ & (ο) Lexica
 (π) exhibent.

§. 6. Nos in eâ opinione versamur, significationem מועד omnium commodissimè ex integrâ Phrasi atq; circumstantiis Textus posse
 cognosci. Nam uti de aliis Nominibus, ita etiam de hoc statuendum,
 quod sequantur indolem significatorum quæ cadunt in eas voces, quibus
 in eadem contextûs serie junguntur. Quoties igitur hæc vox DEO, tan-
 quam Enti simpliciter infinito tributa invenitur, toties simpliciter infini-
 tam denotat durationem, quando verò construitur cum re finitâ, plerum-
 que

A 3

λ) Eceles. I, 10. μ) I. Sam. I, 22. ν) Comment. super Mich. V. p. 138. ξ) Com-
 ment. ad Cap. I. Epist. ad Gal. ο) Vid. Buxtorf. Concord. in voc. מועד. π)
 Vid. Edmund. Castell. in Lex. Heptagl. p. 2774. M. Marin, in Arc. Noæ. f. 44.
 part. 2. Forster. Dict. Ebr. p. 598. - 601. Pagn. Thes. p. 1748. Buxtorf. in Lex.
 Ebraic. p. 560 & in Lex. Talm. Rabbin. p. 1619.

que etiam finitam notabit durationem. Unde iudicium facile ferri potest de presenti loco, in quo ad Circumcisionis actum applicatur. Nam cum ipse circumcisionis ritus jam pridem abrogatus sit, sermonem hic non esse de absolutâ æternitate oppidò constat. Quanquam diverso respectu & Infinitam & Finitam durationem hîc intelligere absurdum non sit. Referri enim, quod ad hunc locum D. Gerhardus (ε) observat, vox עוֹלָם potest vel ad ipsum fœdus gratiæ, vel ad externum Circumcisionis ritum. Priori ratione, fœdus hoc cum circumcisis initum, æternum dici potest fœdus, cum virtus ejus in omnem duret æternitatem. Posteriori autem modo vox hæc finitam aliquam & restrictam s. limitatam respicit durationem, quæ cum interitu Politicæ Judaicæ & adventu Servatoris in carnem, qui Auctor erat novi fœderis, terminanda esset. Quâ de re fusi- us egerunt Magn. Dn. D. Calovius (σ) & Excellentissimus Schelgvius (τ) Præceptores atq; Patroni æternum colendi.

§. 7. Quemadmodum verò in promulgatione Legum id observari plerumq; consuevit, ut constitutâ poenâ ii, quibus præscripta Lex est, à transgressione & contemptu Legis deterreantur, ita idem hic à DEO observatum deprehendimus. Postquam fœdus cum Abrahamo & posteris ejus pepigisset, iis, qui fœdus illud essent violaturi gravissimam minatur poenam: וְעַרְלָה זָכָר אֲשֶׁר לֹא יָמַל אֶת בְּשָׂר עַרְלָתוֹ וְנִכְרְתָה הַנֶּפֶשׁ : הָהוּא לְעֵמֹהּ : *Et præputiatus masculus, qui non circumciditur carnem præputii sui, ejus anima delebitur è populo suo.* De voce עַרְלָה occasione nominis עַרְלָה dictum fuit. Qualis autem hoc loco sub Nomine זָכָר intelligatur Masculus, utrum Infans an Adultus, non inutiliter scitur. Vox זָכָר enim generalis est, quæ & infantem & adultum denotat, planè uti Latinum Mas, quo interpretes Latini utuntur. Chaldaeus vocem זָכָר adhibet, quæ aq; latè ut זָכָר patet. LXX Interpretes habent vocem ἀνήρ quæ etiam generalior vox est, sed intellexisse eos masculum infantem, satis arguit addita determinatio ἐν ὄντι ἀνήρ, quos etiam alii secuti sunt qui vocem זָכָר h. l. de solo infante sub intelligendam esse statuunt. Augustinus (υ) Græcam translationem secutus illud octavo die retinet adeo, quæ similiter infantem intelligit. Sic etiam Lutherus vocem זָכָר reddidit per ein Knäblein/ pro quo in Bibliis Lingvâ Saxonica inferiori editis adhi-

ε) Comment. in Gen. p. 366. σ) Comment. in Gen. p. 889. τ) De Contil. Hierosol. Cap. V. §. 8. υ) Lib. 16. de C. D. cap. 27. & lib. 2. contra Pelagium & Celest. cap. 30. lib. it. 2. de Nupt. & Concupisc. cap. 11.

adhibetur vocabulum ἐν Βενθην / quæ verba saltem infantes denotant. Videtur autem nobis & de infantibus & de adultis hic sermonem esse, uti ex sequentibus patebit.

§. 8. Quaritur jam de voce ימול, quæ, cum diversâ ratione exponi possit, vel Activè vel Passivè usurpata, quam acceptio preferenda alteri, non immerito disquiritur. Quod si deducenda vox est à Radice נמל Futurum dabitur in Kal, sin verò à Rad. מול erit formæ Niphal, a deoq; Passivè vertenda. Chaldaus pro eâ habet vocem יגור quæ Activè exponi debet. LXX Interpretes verò vocem ימול Passivè acceperunt, vertentes περιμνησεται, quos plurimi in Versionibus Latinis sequuntur, ut & ipse B. Lutherus in Germanicâ. Alii tamen cum Tremellio, & Pagnino vocem ימול Activè reddendam esse censent, adeoq; hæc verba accipi volunt de masculo qui seipsum non circumciderit. Ex Ebraeis Interpretibus sensum Activum defendit R. Aben Esra in hunc locum sequenti modo scribens: ימול יפעול כמו כי ידר נדר והוא מן ונמלתן את כשר ערלתכם וטעמו אם היה בר מצוה ולא ימול את בשר ערלתו יש עליו כרת כי מצות הנער הקטן על האב ואם אביו לא יפעול (i.e. vertendum est in Futuro Kal) ימול כו מלה ימול עצמו בהיותו ברשותו. Et est ab ונמלתן & circumcidetis carnem preputii vestri (ψ) Sensus vero hic est Si quis fuerit filius Præcepti (i.e. ejus ætatis, quæ ad legis servationem obligat, nempe si XIII supergressus est annum, qui omnibus Judæis Legis Mosaicæ jugum imponit) & non circumciderit carnem preputii sui, super eo erit excisio. Nam præceptum, quod ad puerum parvulum spectat, Patri incumbit, sed si Pater eum non circumciderit, circumcidat seipsum, ubi jam in suâ potestate est. Etsi autem facile largiri possumus, vocem hanc ימול secundum regulas Grammaticas à verbo נמל deduci posse, cum tamen vix uspiam activè usurpetur, atq; bis in hoc capite in versibus duobus precedentibus v. 12. & 13. in passivâ acceptione occurrat, nullâ urge-mur necessitate, ut eam h. l. activè interpretemur, quin potius passivè explicandam esse judicamus.

§. 9. Approbat enim id totius contextûs οὐκ ἔστιν בשר ימול את בשר ערלתו ubi illi quidem, qui vocem ימול Activè vertunt, Particulam את, quæ eandem proximè insequitur, urgent, quod ea sit Accusativi nota, quæ verbo Activo addi soleat. Id quod lubenter concedimus, sed construi etiam

א) Num. XXX, 3. ψ) Gen. XVII, 12.

tiam eandem Particulam cum verbis Passivis constat, quo pacto non Accusativum, sed Nominativum exprimit, prout ejus rei Exempla suppeditat plurima Glasius (ω) & Dn. D. Wasmuthius (α). Et ne aliunde ea petamus duobus locis, in hoc ipso cap. XVII versu sc. 5, & 15 occurrit ista constructio particulæ את cum verbo Passivo connotantis Nominativum, unde Vulgatus hunc locum ita reddidit: *Masculus, cujus preputii caro circumcisa non fuerit.* Quanquam si singula accuratè expendere volumus, hoc in loco nec ita satis commodè reddi existimamus; Nam cum את נשר Nominativum in hac Propositione faciat, minus congruè à Vulgato את-בשר in eodem casu redditur, sed retinendus potius hic est Accusativus, etiamsi verbum Passivum precedat. Sumitur a. hic Accusativus, Synecdochice, ut sub intelligatur quoad, ut את-בשר sit quoad carnem, quæ Constructio nec in Ebraeo codice infrequens est, uti patet ex I. Sam. XII, 7. אִישׁ פִּטְמָה אֶת כָּל צְדָקוֹת יְהוָה quoad omnes misericordias Domini. Eadem constructio etiam Particulæ את, verbum Activum sequentis, reperitur I. Reg, XV, 23. רָק לַעַת זָקְנָתוֹ רק לעת זקנתו: Tantum tempore senectutis agrotavit quoad pedes suos; unde B. Lutherus rectè ibidem vertit: ohne daß er im Alter krank war an seinen Füßen. Simili ratione & hic את לא ימול את ערלתו redditur Omnis masculus, qui non circumciditur quoad carnem preputii sui. Eadem locutione ellipticâ usi sunt οἱ οὐ (β) ἤγει ἀπερτίμηται ἀρσεν ὅς ἐ ἀπερτίμηται τὴν σάρκα τῆς ἀρσενίας ἀυτοῦ. Accuratissime autem B. Lutherus noster, dum ita vertit: Und wo ein Knäblein nicht wird beschnitten an der Vorhaut seines Fleisches. Quod & in Bibliis Saxonice inferioribus exprimitur: Unde wo ein Bentken nicht werd beschnäden an der Vorhuet synes Glesches.

§. 10. Poena ipsa sequentibus descripta verbis sistitur: ונכרתה: הנפש חרויה מעמיה Et excindetur anima hec è populis suis. Quid propriè per hanc Excisionem intelligatur, inter Interpretes non convenit. Juvabit nos, antequam certi aliquid statuamus, singula probè expendere verba, quæ in integrâ hac occurrunt Phrasi; atq; initio vox כרת expendenda occurrit, quæ propriè significat Cecidit, Succidit, Amputavit (γ)

Quod (ω) Lib. III. Phil. Sacr. Can. 40. p. 354. (α) Hebr. Restit. Append. II. Sect. 2. p. 293. (β) b. l. (γ) vid. Marc. Marin. in Arc. Noe. Part. I. p. 334. Pagnon Thes. p. 1074. Edmund. Castell. in Lex. Heptagl. p. 1818; Forsterus. in Diction. Ebr. p. 396. Buxtorff. Lex. Talm. Rabb. p. 100.

Quod vocabulum generale uti de aliarum rerum ita & de hominis ipsius excisione usurpari & ejusmodi extirpationem plerumq; connotare solet, quæ cum totali interitu conjuncta. Chaldaus habet: **ישתצי**: **אנשא ההוא מעמיה** *Perdetur vir ille de Populo suo.* $\epsilon\iota$ δ adhit est vocabulum $\epsilon\zeta\omicron\lambda\omicron\theta\epsilon\zeta\theta\eta\sigma\epsilon\tau\alpha\iota$ *funditus extirpabitur.* Composita enim illa vox est ab $\epsilon\zeta$ & $\omicron\lambda\theta\epsilon\zeta\theta\omicron\varsigma$ exitium, quod descendit ab $\omicron\lambda\upsilon\mu\iota$ *perdo* quod est quasi $\omicron\lambda\omega\varsigma$ $\lambda\upsilon\omicron\mu\alpha\iota$ *totaliter solvo, pereo.*

§.10. Vocabulum **נפש** verò, quod **כרת** sequitur, propriè *animam*, illam Essentialem hominis partem significat. Impropriè deinde etiam aliter id nominis usurpari consuevit. Quandoq; sumitur pro ipso homine ex Animâ & Corpore constante. Exemplo assertum nostrum comprobari potest ex Gen. XIV,21. ubi Rex Sodomæ ad Abrahamum, cum è pugna reversus esset, **נפש** **תן לי הנפש** *Da mihi, inquit, Animas,* uti Vulgatus reddidit, sed LXX rectius per $\alpha\upsilon\delta\epsilon\alpha\varsigma$ verterunt, cum ipsi homines per animas intelligantur. Eodem modo hæc vox Gen. XII,4 sumitur. Non rarò etiam in sacris literis mortis **נפש** seu animæ mentio fit, in quibus locutionibus etiam per Synecdochen Partis pro toto sub animâ ipse homo intelligendus est. v.g. Quando Bileamus dicit (δ) **תמת נפשי מות ישירים**, Vel dum Simson ait: (ϵ) **תמת נפשי עם פלשתים**. R. Bechai verò, quando hæc verba **תמת נפשי** explicat, vocem **נפש** non pro integro homine, sed corpore tantum admittit. Sic enim in adductum locum Num. XXIII, 10. (ζ) scribit: **אמר תמות נפשי מלת נפשי במקום הזה הוא הגוף**. **כי הנפש לא תמות וכן אמר הנפש כי תחטא והנפש האוכלת כי הנפש השכלית איננה חוטאת ולא אוכלת והרי אנו מענדים על הגוף שהוא האוכל אכל מפני שאין הגוף כלום בלא נפש והנפש עקר לכן יכנו הכתובים הגוף ברשון נפש**. *Dicit moriatur Anima mea, Vocabulum Anima hoc loco significat corpus, anima enim non moritur. Et sic dicitur (η) Anima cum peccaverit, Et (θ) Anima, quæ comedat, quia anima rationalis neq; peccat neq; comedit. Ecce nos confitemur de Corpore, quod illud comedat. Sed quia corpus absq; anima nihil est, adeoq; anima pars principalis, propterea Scriptura corpus voce **נפש** appellare solet. Sed si accuratè loqui velimus non de solo corpore dicitur, quod comedat vel moriatur, sed hæc potius totius Compositi nempe hominis sunt, unde dictio **נפש**, quoties hoc sensu invenitur, totum hominem de-*

B

notat.

δ) Num. XXIII, 10. ε) Jud. XVI, 30. Addatur Deut. XXII, 26 Ezech. XVIII, 4. ζ) Comment. in Leg fol. 179. col. 4. η) Levit. V, 1. θ) Lev. VII, 18.

notat. Nonnunquam tamen vox נפש etiam pro ipso corpore & quidem pro corpore exanimi seu Cadavere in sacris literis usurpatur v. g. cum Levit. XIX. 28. dicitur: ושרט לנפש לא תתנו בבשרכם Et incisionem pro animâ non dabitis in carne vestrâ, נפש ibidem nihil aliud, quàm Cadaver significat, quod etiam R. A. Esra (1) observat: מלת לנפש הנופהמת: voce לנפש nihil aliud innuitur, quàm corpus mortui. Unde & versio Chaldaica habet על מת super mortuum. Accedit locus Parallelus Deut. XIV, 1. ubi pro לנפש adhibetur למת super mortuum. Quo sensu etiam in aliis Scripturæ locis invenitur. (2) Quandoq; etiam contrariam sortitur significationem & pro ipsâ sumitur vitâ, cuius Exemplum habes Gen. XXXVII, 21. ubi Ruben ad fratres, qui Josephum interficere studebant, dicit: לא נכנו נפש non percutiamus eum animâ i. e. vitâ (ne occidamus eum) Ita Deus ad Moſen: (3) מתו כל האנשים המבקשים את נפשך Mortui sunt homines, quarentes animam i. e. vitam tuam. Unde Chaldaeus Interpres Onkelos reddidit: כל גברא דבעו למקטלך mortui sunt omnes viri, qui quaesiverunt occidere te, & B. Lutherus noster: die Leute sind tod/die nach deinem Leben stunden. Et alibi passim (4)

§. II. Sæpe deniq; vocabulo נפש tam apud Ebraeos, quàm etiam Chaldaeos & Syros Pronomen reciprocum describitur, sic Jesaiæ V, 14. dicitur: הרחיבה שאול נפשה dilatat sepulcrum animam suam, quod rectè à Tremellio, Vatablo & aliis redditur: Dilatat sepulcrum seipsum. Sic etiam Jer. LI, 14. dicitur: נשבע יהוה צבאות בנפשו & Amos VI, 8. נשבע יהוה בנפשו ubi in utroq; loco בנפשו idem est ac per se ipsum. Unde & in priori loco vocem בנפשו R. D. K. reddidit per כו & in posteriori LXX eandem vertunt per εαυτο. (5) Sic idem נפש & נפשי apud Chaldaeos sæpè pro Ego ipse, Tu ipse &c. cum additis suffixis ponitur (6). Et Syris nihil frequentius est, quàm loco Pronominum Reciprocorum voce ܢܦܫܝܢ uti. (7) Idem etiam in Linguâ Arabicâ obtinet, ubi vocabulum نفس Anima idem valet quod Ipse v. g. نفسى امي amicus anima eius, h. e. amicus ipse, imprimis autem hoc fit, quando alii postposita est substantivo, uti Venerandus Academiae nostrae Senior Andreas Senertus.

(1) b. l. (2) Vid. Levit. XXI, 1. Num. V, 2. VI, 9. Hagg. II, 14. (3) Exod. IV, 19. (4) Vid. Est. VII, 3. Ps. XXXV, 4. Thren. V, 9. (5) Vid. Christ. Cellarii Canon. de Ling. Sanctæ Proprietat. Can. XXVII. Add. Job. Wilb. Hillig. Summ. Ling. Sanctæ Cap. IV. §. 7. & Buxtorff. Lex. Ebraic. p. 927. (6) Vid. Buxtorff. Lex. Talmud. p. 1377. (7) Vid. Cellar. c. l. It. Hillig. in Comp. Ling. Aram. c. IV. §. 5.

nertus, Patronus atq; Præceptor noster æternùm colendus (*w*) annotat. Hoc quoq; Rabbini familiare est, ut voce נפש loco Pronominis Reciproci usurpent, ut iterum Patronus noster Venerandus hujus Academiae Senior (*ρ*) observat. Ita quoq; ubi in N. T. adhibentur Pronomina, εμαυτοῦ, παυτοῦ, & εαυτοῦ, Syrus vocem **אני** substituit, ut ex plurimis locis (*σ*) patet. Qui plura de voce נפש, variisq; ejus acceptionibus desiderat, R. Maimonidem. (*τ*) Flacium (*υ*) Glassium (*φ*) Dn. D. Geierum (*χ*) Hackspanium (*ψ*) Slevogtum (*ω*) Edmundum Castellum (*α*) Capellum (*β*) Marcum Marinum (*γ*) Forsterum (*δ*) Sixtin. Ammam (*ε*) Joh. Vorstium (*ζ*) Schindlerum (*η*) Edward. Pokok (*θ*) Pagninum (*ι*) Rivetum (*κ*) aliosq; conferre poterit, qui pluribus de hac voce egerunt.

§. 12. Quo sensu autem hoc in loco & in hac Phrasi explicanda hæc vox sit, interpretes dissentiunt, AbenEsra per eandem corpus (*λ*) intelligit: נפש כמו איש ושעמו גוף שיש לו נפש כרצונם כי תחטא *Vox hic idem est, quod איש & significat Corpus, in quo est Anima, ut Anima cum peccaverit.* (*μ*) Sic etiã R. Saadja in hac constructione per נפש intelligit corpus, cujus verba in Comm. in Legem R. Abar banel (*ν*) allegat: הנפש שזכרה התורה ונכרתה הנפש היא ונכרתו הנפשור העושות הוא שם נאמר על הבשר והגוף ושהוא על דרך נפש כי תגע אכל טמא וחנפש אשר תאכל כל דם ונכרתה הנפש ההוא מעמיה נפש כי תאכל כל נבלה שמבואר הוא שהנפש אינה אוכלת דם ולא נבילה ולא דבר אחר: ואינה נוגעת בכל דבר טמא: אבל הנפש הנאמר כאן הוא הגוף כמו שגב יאמר שם בשר על הנפש יבא כל בשר להתחוות לפני ויכרך כל בשר כי ההשתחואה והברכה וההלול לא תפול על הבשר כי הם מפעולות הנפש:

B 2

Ani

π) in Arabism. Lib. II. cap. I. reg. l. annot. 4. p. 78. ρ) in Rabbinism. Appendic. III. §. 10. p. 74. σ) Vid. Matth. IV, 6. XIX, 2. Job. XXI, 7. Act. VII, 2. Rom. II, 21. XIV, 7. II. Cor. II, 1. & c. τ) in More Nevuchim Part. I. cap. 1. p. 49. υ) In Clav. Script. Part. I. sub voce Anima. φ) Rhetor. Sacri. Tr. I. cap. 5. p. 1101. χ) in Psalmos p. 47. 346. 398. 556. & in Cobel p. 197. ψ) Not. Phil. Part. II. p. 68. 168. ω) Diss. de Ling. Hellenist. §. 5 §. 12. α) Lex. Heptaglot. p. 2371. β) in Spicileg. ad N. T. p. 85. γ) in Arc. Noe. Part. I. f. 467. 468. 469. δ) Dict. Ebraic. 510. 511. 512. ε) Antibarb. Biblic. Lib. III. p. 707. ζ) Phil. Sacri. Part. I. p. 117 seqq. η) Lexic. Pentaglott. p. 1145. θ) Not. ad P. M. cap. 2. p. 19. ι) Thesaur. 1454. κ) in Psalm. XVI. λ) b. l. μ) Levit. IV, 2. ν) ad Num. XV, 30.



Anima, cujus Lex meminit (dicendo) Et excindetur anima illa, vel ex-
 scindetur anima illa, quæ fecerunt hoc, ibi dicitur de Carne & Corpore.
 Ad quem modum etiam est: Anima, quæ contigerit ullum immundum, (ξ)
 Item omnis Anima, quæ comederit ullum sanguinem excindetur anima
 illa è populis suis. (ο) Item omnis anima, quæ comederit cadaver. (π) Jam
 autem manifestum est, animam non comedere sanguinem, nec cadaver,
 nec aliam rem, neq; etiam contingere quicquam ex omnibus rebus immun-
 dis. Proinde anima in his locis est corpus, sicut vice versâ Nomen Caro
 dicitur de Anima: v.g. veniat omnis caro, ut se incurvet coram me. (ε) I-
 tem: Benedicat omnis caro nomini sancto ejus. (σ) Benedictio quippe &
 laudatio non competunt carni, quia sunt ex operationibus anime. Sed,
 uti jam supra ad Explicationem R. Bechai fuit monitum, (τ) talia voci
 נפש adduntur Prædicata, quæ nullâ ratione de solo corpore intelligi
 possunt. cum totius compositi seu hominis sint. Unde non immeritò
 R. Abarbenel in expositione hujus Phræcos hanc Saadjæ sententiam (υ)
 repudiavit. שנתמר שבא בתורה הנפש במקום בשר וגוף במקום
 נפש ושדברה כזה בדרך העברה והשלוח: והוא זה מאר ננאי
 Quod dicitur, animam hic poni
 pro carne & vice versâ corpus pro animâ, quodq; Lex loquatur tropicè, id
 alienum est prorsus, & procul à Legis mente, nequaquam credendum. O-
 ptima igitur & hoc loco interpretatio fuerit, si animæ voce totus intelli-
 gatur homo, quod & Piscator probè advertit & Junius: Excindetur ille
 è populis suis. Eâdem planè ratione etiam Paraphrastes Chaldaicus vo-
 cem נפש per אנשא reddidit, nec solùm in hoc, verùm etiam ferè in o-
 mnibus aliis Scripturæ locis, ubi dicitur: ישתצי נכרתה המש: ויהא זה מאר ננאי
 Perdatur vir ille seu homo ille.

§. 13. De Plurali עמים non est, quod plura addamus, quod eo no-
 mine Populum Israeliticum designari ex contextus serie satis constat.

§. 14. Jam instituti nostri ratio requirit, ut de re ipsâ simus solliciti,
 & quid nomine כרת sive Excidii intelligendum veniat, breviter expen-
 damus. Ubi jam antea fuit monitum, varias tam apud Judæos, quàm
 Christianos Interpretes hâc de re deprehendi sententias, è quibus unam
 atq; alteram allegare placet. Nonnulli præmaturam hominis mortem
 hâc phrasi designari credunt, quo is, qui poenam כרת incurrit, non at-
 tingit

ξ) Levit. VII, 21. ο) Ibid. v. 27. π) Levit. XVII, 15. ε) Jes. LXVI, 23.
 σ) Psa. CXLV, 21. τ) §. 10. υ) c. l.

tingit determinatum vitæ Terminum, qui Terminus aliis annus sexagesimus, aliis quinquagesimus, aliis quinquagesimus secundus est, alius dicitur esse tempus, quod naturæ suæ beneficio potuisset implere. (Φ) Communiter tamen justum vitæ tempus annum statuunt sexagesimum. Unde apud Judæos solenne senibus, qui sexagesimum compleverunt annum, convivium Eucharisticum instituere, quod non sint ante tempus à DEO excisi. (χ) Atq; huic sententiæ, quod per hanc phrasin βραχυβιότης & vitæ decurtatio intelligatur, ad stipulatur R. Moses Mikkotzi (ψ): *מת קדם ששים זהו מיתת כרת, ille moritur ante sexagesimum annum, nec abludit R. Saadja. Meminit hujus sententiæ ex aliorum mente R. A. Esra (ω) שנא נב קדם כרת הי' אבי כרת המת קדם שנא (ω) Sunt, qui dicunt, per כרת intelligi, cum quis moritur ante annum LII. Et alibi (α) ו לפי זה יהוה דעתם שענין הכרת הוא קצור ימי החוטא (α) Sententia igitur horum erit, quod כרת significet Decurtationem dierum Peccatoris, & mortem ejus prematuram in mundo hoc, nequitquam aliud. Ipse Aben Esra autem excidium confundit cum morte cœlitus infligendâ (β) כרת ביד שמים Cheret ab ipso Deo infligitur. Et iterum (γ) ויתחייב מזה שיהיה ענין הכרת הוא עצמו ענין המיתה ביד שמים: Hinc sequitur per Excidium intelligi ipsissimam mortem per manûs cœli. Alii tamen ex Talmudistis & Rabbinicis Doctoribus differentiam aliquam agnoscunt, nimirum כרת לחמשים שנה והמיתה ביד שמים שנים: quod כרת sit usq; ad annum quinquagesimum, mors per manûs cœli autem usq; ad sexagesimum annum Unde & R. Abbarbanel in Levit XV, 30. eundem refellit: והדעת הזה הוא בלתי נכון: לפי שבפרק אלו הם הנשרפים מנו חכמינו זכרונם לברכה אותם שמתתם ביד שמים אחר לאחד אבל לא זכרו בכללם אחר מכל ה'לו כריתות: וכן כשמנו במשנת כריתות אותם ה'לו כריתות לא זכרו בכללם אחר ממחוייבי מיתה ביד שמים: והוא המורה שאין ענין הכרת כענין המיתה ביד שמים: ושהם Hæc sententia non est optima, quia מתחלפין בעצמם וברונם: in Talmud, in capite quod incipit אלו הם הנשרפים (δ) ubi sapientes*

B 3

tes

Φ) Vid. Const. l. Empereur in Not. ad Bertram de Rep. Jud. cap. 2. χ) Vid. Buxtorff. Lex. Talmud. col. 1101. ψ) בספר מצות גדול fol. 35. col. 3. ω) in b. l. α) Ad Num. XV, 30. β) ad Gen. XVII, 14. γ) ad Num. XV, 30. δ) Sanhedrim cap. 9.



eos p. m. enumerant illos sigillatim, quorum supplicium est mors per manus
caeli, non numerant unum extringinta sex כריתות seu excisionibus. Neq;
quando in Miscbnico codice כריתות seu de Excidiis recensent triginta il-
la sex Excidia, Lege denunciata, inter illa referunt vel unicum ex illis,
qui rei sunt mortis per manus caeli. Quod sanè nos satis docet כרת
f. Excidium non esse mortem per manus caeli, sed diversa esse, tum in seipsis,
tum in iudiciis h. e. pœnis suis.

§. 15. Alii excidii pœnam aestimant secundum numerum dierum
morbi, ita ut si quis tertio à morbi initiis die morte abripiatur, pœnam
excidii incurrisse dicendus sit. Quam sententiam Auctori Tosephot
seu Additionum Talmudicarum tribuit, & ut absurdam meritò rejicit
Abarbanel. (ε)

§. 16. Sunt porrò qui nomine כרת seu Excisionis mortem hominis
אֲתֵּיטָּטֵס h. e. sine liberis discedentis, intelligunt, cui opinioni Praesidia
quærent ex Levit. Cap. XX, ubi hominibus incestu & illicito congressu
se commaculantibus, Deus initiò (ζ) כרת minatur, mox verò (η) etiam
אֲתֵּיטָּטֵס mentionem facit. Adstipulatur illi asserto Raschi, quamvis &
alterum de decurtatione vitæ retineat, dum (θ) ait: הוֹלֵךְ עִירֵי וּמְרֵיתָּ
קָדָם זְמַן אֲבִיבִית (ex hac vitâ) sine liberis & morietur ante tempus
suum.

§. 17. Huic sententiæ affinis est eorum Interpretatio, qui כרת de to-
tali deletione Nominis posterorumq; exstirpatione accipiunt, quorum
meminit R. A. Esra (i) וְיִ' אֲ כִי כָרַת שִׁיכָרַת שְׂמֵן בְּמִוֹת זִרְעוֹ עַל כֵּן (i)
אָמַר הַכְּתוּב מֵעַמִּיהָ כִּי מִן שִׁישׁ לוֹ בָּנִים כְּאֵילוֹ הוּא חַי וְשִׂמּוֹ לֹא
נִכְרַת. Sunt, qui dicunt, Excisionem hoc velle, quod excindatur Nomen
ejus, dum moritur semen ejus, Et ideo dixit Scriptura: Ex populis suis.
Nam, qui filios habet, est ac si viveret, & non excinditur nomen ejus

§. 18. Qui minorem esse judicant pœnam temporalem, quam ut ei
hoc nomen כרת tribuendum sit, mortem quoq; æternam, seu interitum
animæ post mortem indigitari censent. Ita Rambam (κ) הַנְּקֻמָּה
הַגְּדוֹלָה הִיא שְׂתִכְרַת הַנֶּפֶשׁ וְתֵאבֵר וְשֵׁלָא תְהִיָּה חַיִּיהָ וְקִיּוּמָתָּ וְהוּא
הַכְּרַת שְׂכֵתוֹב בְּתוֹרָה שֶׁנֶּאֱמַר הַכְּרַת תְּכַרֵּת הַנֶּפֶשׁ הַחַיִּיהָ
וְאֵרְזֵל הַכְּרַת בְּעוֹלָם הַזֶּה תְּכַרֵּת לְעוֹלָם הַבָּא: Vindicta
maxima est, quando excinditur & perditur anima, ut non permaneat vi-

va,
ε) e. l. ζ) v. 17 & 18. η) v. 20 & 21. θ) in b. l. ι) ad b. l. κ) In Expli-
catione Miscbnajotk in Sanbedrim capite חלק.

viva, quod est כרת de quo in Lege scribitur, ubi dicitur: Exscindendo exscindetur anima illa. Rabbinī nostri dixerunt: Exscindendo in hac sc. vitā, exscindetur in vitā alterā. Idem sentit Gabriel Biel. (λ) Quod etiam Chamier statuit (μ) dicens: Non dicit absolute peribit, sed peribit de populo suo. Et sic indicari mortem eternam persuasum habeo. Et si non posse ex nudae hujus Phraeos proprietate eternam hic asseri mortem, sed certas attendendas esse circumstantias Rivetus (ν) observet.

§. 19. Aliam adhuc hanc de re fovet sententiam R. Isaac Abarbanel qui cum (ξ) plerasq; Rabbinorum sententias congesisset, eosdemque omnes refutasset, tandem suam subjicit, & כרת corpori quidem in hac vitā, animae verò à corpore separatae competere autumat: הכלל בכל הלו כריתות כולל לגוף ולנפש אם לגוף בעולם הזה שיקצרו ימי החיטה וימות קודם עתו שהיה ראוי לו כפי טבעו ועם לנפש שאחרי הפרדה מן הגוף בעולם הנשמות תתרחק מזו השכיב/ ומקבול השפע העליון לנפשות הזוכות שמרה Excidium ingenere in omnibus triginta sex casib; commune est corpori & anima, corpori in mundo hoc per decurratione dierum Peccatoris, ut moriatur ante tempus suū, quo secundum naturam suam debuisset mori. Anima, quod ea post separationem à corpore in mundo animarū elonganda sit à splendore Majestatis divinae, & receptione influentiae superne descendente in animas justas illas ex fasciculo vite.

§. 20. Nobis in praesenti cum iis facere licebit, qui Phrasin hanc proprie accipiunt, & ut supra verbum כרת de totali excisione & extinctione explicatum fuit, vox נפש verò de ipso homine, ita integrā hanc Phrasin in genere mortem hominis significari credimus. Uti enim vox כרת, quando de arboribus usurpatur, excisionem è terrā denotat, ita, quando de hominibus dicitur: Exscindetur anima ejus è populo, videtur etiam illud indicare, Excidetur seu extirpabitur hominis ejus vita, ut post breve vitæ spatium inter homines esse desinat. Num verò DEUS ipse excisione transgressores mandatorum punire, num per alios homines hanc peragi velit, non est, ut praecise definiatur, etsi non inconvenienter DEUS praecipuus & immediatus istius excisionis auctor & effector dici videtur. Sibi ipsi enim Deus expressè poenae hujus exercitium vindicat Levit. XVII, 10. ארתה מקרב עמה Excindam eum è medio populi. It. Cap.

λ) in 4. Sent. Dist. 1. q. 4. art. 2. μ) Tom. IV. Panstr. ar. lib. 3. cap. 3. num. 28
ν) Exercit. 89. in Genes. ξ) Num. XV, 30.

It. Cap. XX, 5. 6. Confer & Exod. IV, 24. Atq; hâc ratione præsentem locum præter Rabbinos suprâ (o) citatos explanant Dn. D. Pfeifferus: (π) *Excidiū ē populo in genere infert mortem, sive à Deo immediatè sive per homines illatam h. l. autem γενέσθαι τὸν*. Sic etiâ Constant. L. Empereur (ε) postquam quatuor Ebræorum sententias de כרת recitavit, tandem subnectit: *Ex his minimè absurdam puto sententiam de morte præmaturâ.*

§. 21. Causa atrocissimæ istius poenæ, quâ animadversurum se esse in rebelles & immorigeros DEUS ait, allegatur violatio Fœderis cum Abrahamo ejusq; posteris initi, ita enim Deus: את בריתי הפר *fœdus meum irritum fecit.* Verbum הפר descendit à Rad. פור *Dirumpi.* De quâ videri possunt Edmund Castellus (σ) Marcus Marinus (τ) Forsterus. (υ) Pagninus (φ) Buxtorffius (χ) aliiq;. Denotat autem tam rapturam alicujus vinculi, quàm intermissionem s. neglectum ejus, quod demandatum est. Unde & communiter de fœderibus & intermissione divini mandati in S. literis usurpari consuevit, quod liquet ex Num. XV, 31. XXX, 9. Psal. XXXIII, 10. communiter redditur irritum fecit, quâ ratione etiam hoc loco vertitur à plurimis. Arias Montanus & Emanuel Sa. vertunt *Fregit.* Munsterus adhibet vocem *dissolvit.* Arabs *فك* & Syrus *فك*. Malvenda annotat *פר* opponi *פר*, quod est *statuere, firmare* Daniel Chamier (ψ) existimat verbum הפר h. l. non Activè sed Passivè potius reddendum esse. Sed deseritur eâ in parte à socio Religionis Riveto, qui Activam potius obtinere hîc significationem contendit, & fundamentum Chamieri ex Bellarmino petatum non contemnendâ ratione refutat.

§. 22. Atq; ita verba Mosaica, quibus prima Circumcisionis institutio ad Abrahamum facta proponitur, ל ער explanavimus. Omnes recentiorum quoq; Judæorum ritus, quos in administrandâ circumcissione observant, adducere, supervacaneum esse duximus, quod illi in Buxtorffii Synagogâ Judaicâ (ω) satis prolixè descripti legi possint.

תושלבע:

o) Vid. §. 14. π) in *Dub. Vexat. Script. S. Loc. XLIV. p. 136.* ε) in *Not. ad Bertram. de Rep. Jud. cap. 4. p. 357.* σ) *Lex Heptagl. p. 2974.* τ) *Art. Noe. Part. II. fol. 79.* υ) *Dict. Ebraic. p. 598. 599. 600. 601.* φ) *Thesaur. p. 1748.* χ) in *Lex. voc. פור.* ψ) *Tom. IV. Panstrat. Lib. 3. cap. 3. n. 22.* ω) *Cap. II.*

S. D. G.

Aug VI 15

ULB Halle 3
003 865 746


Sb.

Reho
VD 17
KD 18
L







Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

הלכה

58

60

INCISIO.
ORUM,

v. 13 & 14
OLOGICA TERTIA
IMA,

MODERANTE,
IDE

NO Gofervixen/
densi,

LEUCOREÆ
Veteri,

X. die 15 Maji

tutinis
ογώντων συζήτησις
mittel

NDENS
US Schüze/
densis.

BERGÆ,
NI SCHRÖDTERI.